



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs**

In Qvo Genuina sententia profundissimi Doctoris de Auxilio gratiæ medicinalis Christi Salvatoris, & de prædestinatione hominum & Angelorum proponitur, ac dilucidè ostenditur

**Jansenius, Cornelius**

**Lovanii, 1640**

13. Post Augustinum idem docuerunt omnes usque ad Scholasticos, & primo sanctus prosper & Fulgentius.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13704**

Chryso.  
tom. 13. de  
libertate  
arbitrii.

tati nisi ex necessitate coactionis prejudicium. Cum enim objecisset sibi quorundam verba dicentium de vocatione sancti Pauli: Quod Deus vocem illam quasi funem cervicis eius iniecerit, vique illum ad se traxerit. Et infra: *Vi & necessitate ipsum* ( Paulum ) inquit, *attraxit Deus.* Respondet ea refutando Chrysothomus, quod non violavit liberum ejus arbitrium, quia & ipse Saulus aliquid egit propria voluntate: Non tamen desitit eam a suis operibus, & sua propria voluntate laude ( id est, reliquit eum ipsum aliquid operari propria voluntate ) neque nocuit eius libero arbitrio: sed voluntarius advenit ipse atque sua bona voluntate. Unde inferius aliquoties: Paulus voluntarie & ex proposito voluntatis venit, non volentes non cogit sed volentes trahit. *Qui trahit, volentem trahit.* Nullum cogit, sed si ipse vult. Nullum vi & necessitate Deus adigit. Non omnium voluntas eius voluntati obsequitur neque ab eo aliquis cogitur. Si spontanei & volentes fuerimus: involuntarios enim & resistentes, neque vi neque necessitate cogit. Nimirum, ut praemisera, ne vocat libero arbitrio, quo hominem in sua ipsitione donavit. Eodem modo & alijs locis. *Quomodo cogitur, inquit peccant animi? Volentes, sponte, quae ac seipsum iniuria afficientes peccant, non coacta neque tyrannide oppressi.* Nunquam videlicet eventum libertati timet, nisi a necessitate violentiae atque coactionis: qua absente factus est, quod sponte volentesque peccant & benefaciunt. Nam illa absente semper est homo sui Dominus, semper habet actum in sua potestate, quia sit si voluerit: quae est iuxta sanctum Augustinum ipsissima descriptio libertatis. Quae consideratione statim iterum adijcit: *Unde perspicuum est quod in nobis situm est, ut vel obtemperemus, vel non obtemperemus illis ( diaboli ) consilijs, nec ullam necessitatem neque tyrannidem patimur ab illo.* Multa similia ex eodem Chrysothomo prodire possent, sed ista sufficere videntur, ut intelligamus eum non aliam necessitatem, nisi violentiae & coactionis liberam voluntati formidasse.

Sanctus Cyrillus Alexandrinus eandem quoque solam necessitatem coactionis a libera voluntate separat, quando primum dicit: *Omnia quae in caelis est rationalis & mentalis creatura, liberum habet motum ad faciendum quaecumque voluerit, & propensio in unoquoque a NECESSITATE libera est.* Et a qua necessitate? Audi: *Itaque ut nos quoque ad quodvis bonum sponte succedere*

*mus consilio, non coacte vivere super terram hominem permisit Deus.* Itaque latius seipsum exponens declarat libertatem sublatam iri, si Deus hominem ineffabili potestate flecteret atque cogeret, quantumvis aliquo impetu vel cupiditate voluntaria in bonum ferri videretur: *Itaque si ineffabili quadam & divina virtute & efficacia usus mutasset singulorum mentem ad bene agendum, & indidisset postea bonum a quo egerunt discedere posset, ET NON SPONTE, ultra non esset fructus mentis, neque res digna laude, sed necessitatis & cupiditatis non voluntaria.* Quia videlicet impetus ille impressus non procederet a voluntate, & ideo non esset liberi arbitrii motus sed vi necessitatis extortus. Unde subiungit, quod si Deus sic facit, *Tarde quasi dato consilio vix tandem reducit ut ferret genus ( hominum ) & transferret NON LIBERE, SED COACTE potius ad hoc ut videri debeant fideles.* Vere enim non essent fideles, sed esse viderentur, quia non sponte & sua voluntate crederent, sed coactio impulsu rapti credere viderentur, cum tamen animo ferrentur aut ferri ponerentur invito. Cujusmodi impetum & coactionem repugnare libertati saepe tradit, in libris de adoratione in Spiritu & veritate. Nam frequenter ibi inculcat illas actiones homini liberas esse, quae sunt in hominis potestate, quarum penes nos facultas est, quarum arbitrium & nutus est in hominis potestate, quod facit cum visum fuerit: quae est ipsissima definitio sancti Augustini. Semp. r vero illi opponit, *non esse nobis voluntarium, agi tanquam necessario quodam vinculo quod imperantibus placet, ab aliorum nutu pendere, esse a nostra potestate alienum; praeter voluntatem & ex necessitate impelli: per vim impelli ad bonum aut malum, ac non esse in nostra potestate: quae nihil aliud significant quam id ipsum quod idem Augustinus tradidit libertate voluntati repugnare, nempe ita ex necessitate fieri, ut fiat volentibus nobis: Vbi aditum disciplina doctrinaque adest, non vi sed persuasionem oritur. Patrocino igitur Dei vultis quod ex charitate dignis praesentur, non vi Christiani fideles agnoscant. Non enim possunt secundum Ecclesiam veritatisque dogmata liberam potestatem hominis ( quod liberum arbitrium appellamus ) nullo modo negare. Ita nisi quidem praesens propter iustitiam afficiuntur; qui vero male vixerunt, non iniuria puniuntur. Quod sane nullo modo sequitur, si libertas aliter nisi sola vi & coactione tollatur.*

Lib. 4. de ador. in spir. & verit. fol. 406. & 407.

Cyrrill. lib. 4. in Ioan. c. 7.

CAPVT XIII.

Post Augustinum idem docuerunt omnes usque ad Scholasticos, & primo sanctus Prosper & Fulgentius.

**S**ED post Augustini tempora ita constans fuit omnium illa sententia superius explicata, quam Augustinus antea tradidit, ut nemo, quod sciam, inventus fuerit in Ecclesia latina per aenos octingentos qui dissenserit. De Prospero & Fulgentio

non potest esse dubitatio. Cum enim essent accuratissimi doctrinae callosi ejus defensores, nec ab eius tramite quantum ad gratiam & liberum arbitrium a tiner, vel ad latum unguem discessisse reperiantur, fieri non potest ut eam in re praecipua deseruerint. Et



Et quamvis coacti non fuerint eam tam ex  
 professo tradere ut Augustinus fuit, eorum tamen  
 tota eorum doctrina collimar. Hinc illud  
 quod ex fonte doctrinae istius haustum est:  
*Prosop. lib. 1. de vita contemplativa.*  
*a Lib. 1. ap. imper. cont. Tul. f. 154. b Contra. Gallat. c. 18.*  
 Divino iustoque iudicio actum, ut qua fuit (Angelis)  
 manendi voluntas, sic et permanendi voluntaria felix-  
 que necessitas. Nam ipsa pæne verba sunt, quibus  
 Augustinus libertatem beatæ fruentis-  
 que voluntatis Angelorum explicuit. Hinc  
 illa definitio liberi arbitrii: *b Liberum arbitrium  
 est rei sibi placite spontaneus appetitus.* Quæ defi-  
 nitio non requirit aliud ad libertatem, nisi ut  
 rem placitam sponte velit aut appetat, nulla  
 cuiusquam indifferentiæ habita ratione. Quæ  
 tamen definitio ab Augustini principiis hausta  
 videtur, & à plurimis approbata. Nam illa  
 quam Magister & alij multi Augustino tri-  
 buunt, *facultas rationis & voluntatis, quæ bonum  
 eligitur gratia assistente, vel malum eadem desisten-  
 te, non aliud indicat.* Omitti enim illis parti-  
 culis, *gratia assistente, & eadem desistente,* quæ  
 ad explicandam libertatis essentiam nihil faci-  
 unt, remanet illa definitio, quæ bonum vel  
 malum eligitur. Quod Augustinus etiam sæpè  
 confiteitur. Sed hoc etiam Deo & Angelis  
 jam beatis & damnatis convenit. Illi enim  
 eligunt bonum, hi malum, utriusque maxime  
 voluntario electionis motu. Nec aliud sibi  
 vult illa Auctoris hypognoftici, arbitrium  
 ideo liberum dictum, quod in sua sit positum vo-  
 luntate, habens agendi quod velit possibilitatem, quod  
 est vitalis & rationalis animæ motus. Nec aliud  
 illa Bernardi: *Est potestas faciendi quod vult,*  
 quam Albertus etiam magnus ut Bernardi  
 profert, alibi Boetio tribuit. Nec aliud illa  
 Sancti Petri ex itinerario Clementis apud eun-  
 dem Albertum: *Facultas se convertendi ad quod  
 voluerit actus; nec aliud illa communis, Facultas  
 rationis & voluntatis; nec aliud illa Hugonis  
 qua libertas arbitrii dicitur esse, ut in sua sub-  
 stantia eligat cogitatione quod vult.* Quæ ex Au-  
 ctore libri de Spiritu & anima apud Augusti-  
 num sumpta est; ex quo fit ut Augustino à  
 nonnullis licet perperam tribuatur. Nec aliud  
 illa Alexandri de Hales, dum Angelum dicit  
 esse liberum, quia potest facere quod vult, vel quia  
 potest velle quod vult. Omnes enim isti volunt,  
 omnem rationalem voluntatis motum esse li-  
 berum, quia est motus quem voluntas habet  
 in potestate, utpote per eum eligens & faciens  
 id quod vult; ubi primo & maxime est ipsum  
 velle, ut Augustinus loqui solet. Quod ergo  
 dicit Prosper, rei placitæ appetitus, nihil est  
 aliud quam voluntas ejus quod rationali con-  
 sideratione expensum placet. Per quod omnes  
 illi primi motus sive boni sive mali concupis-  
 centiæ à voluntate libera separantur. Nam  
 placere juxta phrasin Augustino frequentissi-  
 mam, est considerationis rationalis, ut distin-  
 guitur contra id quod libet, seu quod impetu  
 quodam irrationali & motu primo, ut nos lo-  
 quimur, à libere: ut patet ex illo libri pri-  
 mi ad Bonifacium: *Vt per illud (liberum ar-  
 bitrium) peccent, maxime omnes qui cum delecta-  
 tione peccant; & amore peccati, hoc est placet quod*

libet. Id est, hoc rationali voluntatis motu  
 approbant & eligunt, quod eis irrationali im-  
 petu libet. Et infra: *Abfit ut carnis concupis-  
 centiam modinata commotione surgentem aut illi  
 menti placeret consentiendo satiare, aut illi quasi ne-  
 cesse esset dissentiendo cecibere.* Et paulo antè in  
 eodem libro: *Peccata sunt sive eius (concu-  
 piscentiæ) consensionibus cum ab eo quod libet,  
 vincitur id quod placet, sive cum per ignorantiam  
 malum quasi bonum placet.* In quibus locis pla-  
 citum refertur ad consensum voluntatis in id  
 quod rationali consideratione comprobaverit.  
 Vt non sit opus illa terribi larva, qua nonnulli  
 verentur, ne primi motus fiant liberi, neve  
 homines in bruta redigantur, & similes con-  
 sequantur absurditates, quæ tam parvi mo-  
 menti sunt, ut refutationem non mereantur.  
 Quis enim sine extrema stoliditate imagine-  
 tur, beatos Angelos & homines si ab illa in-  
 stabilitate libertatis & voluntatis extrahantur,  
 quæ malorum omnium causa fuit, & plenissi-  
 ma, luminosissima, consideratissima summè-  
 que complacita voluntate immobiliter adhez-  
 reant summo liberi arbitrii bono, in bruta  
 brutalesque impetus commutari? Deumque  
 denique ipsum iustitiam suam incommutabili  
 voluntate diligentem instar bruti incitari, quo  
 nihil magis blasphemum dici potest. Hebetes  
 illæ cogitationes sunt hominum non satis pe-  
 netrantium, quod voluntas quæ in bono per  
 indifferentiam electo sic immutabilis, non  
 bruta sed maxime rationalis redditur. Nam  
 etiam tum cum volens lucidissima præcunte  
 ratione in bono immobiliter figitur, longè  
 major est distantia à brutali impetu animan-  
 tium, quam quando cum indifferentia ferebat-  
 tur. Tunc enim maxime rationabiliter id eli-  
 git, quod eligendum esse Dei ipsius lumine,  
 hoc est, ipsa æterna veritate illustrata iudicat,  
 & super ipsum actum reflectendo, quod bruta  
 nequeunt, seipsam ad eligendum movet, &  
 omne contrarium detestatur. Vsq; adeo, ut  
 idem planè sit in tali arbitrio, voluntatis &  
 electionis modus, ac si esset adhuc eadem, que  
 in hac vita adhaerebat, indifferentia. Nisi  
 fortè velint huiusmodi Auctores cogitatio-  
 num, modum agendi voluntarium in bruta-  
 lem magis magisque commutari, quoties cres-  
 cente pietatis & virtutis, vel etiam improbi-  
 tatis habitudine, vel gratia calitus potentissi-  
 mè radiante, in bonum aut malum tanta  
 stabilitate figuntur, ut altera pars eis pæne  
 impossibilis esse videatur. Impossibilis, in-  
 quam, non illa impossibilitate quæ nolendo  
 superari nequeat, sed illa qua summa confide-  
 rationis rationalis deliberatione præcedente,  
 iudicat constantissimè appetendum esse quod  
 antè inconstanter appetebat. Dum enim cres-  
 cit cognitio boni & convenientis appetenti, &  
 cessat averfio quæ antè voluntatem à volendo  
 retraherat, crescit & iudicium practicum ap-  
 petenti, & rationalis impetus hoc volendi.  
 Sed de his alias fortasse latius. Nunc satis est  
 ostendisse Prosperi doctrinam eandem esse quæ  
 fuit Augustini, dum ad veram libertatem  
 arbitrii,

*Prosop. lib. 1. de vita contemplativa.*  
*a Lib. 1. ap. imper. cont. Tul. f. 154. b Contra. Gallat. c. 18.*  
*Lib. 3. r. 4.*  
*Albert. Mag. in 2. dist. 25. a. 1. in 2. parte sum. de lib. arbit.*  
*Hugo lib. de anim. c. 32. Lib. de Spir. & anima c. 48.*  
*De Hales 2. parte q. 89. memb. 1. n. 5.*  
*Lib. 1. ad Bonifac.*

Cap. 19.  
 Cap. 19.

MANUSCRIPT



arbitrij, nullam omnino indifferentiæ rationem habet. Quem sensum ejus qui plenissime perspicuum habere velit, legat ea quæ prolixè ex ipso infra prolaturi sumus libro octavo de gratia Christi.

Neque vero sanctus Fulgentius dissentit ab Augustino. Nam & ipse doctrinæ istius quamvis non expressa verba, quia necessitas non postulabat, lineamenta tamen quædam non obscura in scriptis suis expressit, dum & ipse sicut Augustinus, eò perducendum esse docet

## CAPVT XIV.

Venerabilis Beda.

**I**NTER Latinos Venerabilis Beda non postremus est, qui à libertate arbitrij, solam illam necessitatem violentiæ, quæ scilicet velimus nolimus operari effectum suum, excludit: idque non lemel aut iterum quasi per transennam ei excutit, sed iterum iterumque diligenter inculcat. Nam de primi hominis libertate tractans: Videndum est, inquit, quæ libertas illius arbitrij fuerit. Arbitrium certe liberum fuit, quamdiu sui potestatis exiit: ita ut nulla vi cogente nec Dei nec diaboli, quod vellet bonum seu malum faceret. Sed cum liberum esset hoc respectu, quod à nullo Domino nulla vi poterat ut vellet aliquid aut nollet, per se tamen debile erat. Et cum dixisset per peccatum primi parentis totum orbem servum esse factum peccati, sic pergit: Venit Dominus nos pristinus restituens gradus, reddens arbitrium patri meo, liberum sicut prius à vi extranea, sed novâ debilitate propria, ut nemo sit qui de se presumat. Ecce auferit libertatem à vi extranea, admittens infirmitatem qua in alteram partem homo pronus urgeatur, ut ostendat ei constare arbitrij libertatem.

Hinc statim ad illam veterem questionem dissolvendam venit, quomodo libertas arbitrij possit cum divina prædeterminatione consistere, nec aliam in ea difficultatem movet, nisi quia videtur asserri necessitas violentiæ: Si, inquit, præordinat vitam bono, & mortem malo videtur non inferre libero arbitrio, quia cum prædeterminatio sua falli non possit, necesse est, ut malus sit, quem prædeterminavit ad mortem, & bonus sit quem prædeterminavit ad vitam. Vides hic libertatis interitum à necessitate formidari. Sed à qua necessitate? Et si necesse est hunc esse bonum & illum malum, perijt ergo liberum arbitrium, quod necesse

liberum arbitrium per gratiam Christi, ut peccare demceps omnino non posset, si non peccaret donec peccare potuisset. Nam Augustiniana phrasi adijcit: Primum homo accepit quidem gratiam, quæ posset non peccare si peccare nollet, nondam tamen tantam acceperat gratiam, qua nec peccare vellet omnino, nec posset. Vbi verbis utitur Augustini libertatem futuræ vitæ commendantis, sed loco vocabuli (libertatem) prænit (gratiam) idem tamen omnino utriusque sensus est.

cessitate cogitur. Vis planius? Quod si arbitrium non est liberum, sed cogitur necessitate. Vis adhuc inculcarius & invictius? Non est culpandus ille qui vellet nollet peccare; neque laudandus qui vellet nollet bene agere, sed laus & culpa soli cogenti est imputanda. Et aliquanto inferius objectionem ita solvit, ut solam vim cogentem ab arbitrij sive bonorum sive malorum libertate submoveat, nihil omnino de quavis alia Dei in humanum arbitrium operatione sollicitus: Prædeterminatio Dei, inquit, nulla vi cogit nos ad bonum vel malum. Itaque paulo post de malorum arbitrio: Coegit nos Deus ut mali sibi videremur ab æterno? At sit. Nam potius nos coegimus cum ut nos malos videret. Et de libertate bonorum iterum: Sicut ergo prædeterminatio ad mortem non cogit malos ut periant, sic etiam prædeterminatio ad vitam non cogit bonos ut salventur. Sed cum Dominus bonos ad vitam prædeterminavit, ita eos prædeterminavit ut ipsa sua prædeterminatio meritis & precibus nostris olimeatur. Quibus ultimis verbis divinæ gratiæ operationem liberum arbitrium tangit, cujus Beda studio obsequiosus adversus Pelagianos & castissimus assertor fuit. Nec tamen aliam libertati ruinam timet nisi per vim, qua velint nolint salute possunt. Vix potuisset evidentiùs Beda sensum suum de necessitate & libertate promerere, etiamsi de industria suum omnem studium eo contulisset. Nominat vim, violentiam, coactionem, necessitatem, non quamlibet, sed quæ veniens nolimus operari effectum suum, ut ipsdem prænit verbis quibus Augustinus suam sententiam exprimat. Ille enim, ut sæpe diximus, illam solam necessitatem libero arbitrio timet, quæ etiam nolimus, efficit id quod potest.

## CAPVT XV.

Sanctus Ioannes Damascenus.

**S**ED nullus est præne antiquorum qui magis existimatur esse adversarius illi sententiæ, cujus auctorem sanctum Augustinum esse diximus, quam sanctus Ioannes Damascenus, quare sententia ejus paulo accuratius exploranda est: fortassis enim patebit, vix quenquam esse anti-

quorum qui magis ad Augustinum accesserit. Nemo igitur quasi adversus Augustinum, proferat, quod dicat sapius, per liberum arbitrium nos habere actus nostros in nostra potestate, in nobis, in arbitrio nostro, vel quod in idem redit, esse nos dominos actuum nostrorum per arbitrij libertatem. Hæc enim non solum admittit

Ff

admittit